

Kern 253 (1-20)

10

DE  
SVPPRESSIONE MENSIVM  
EIVSQVE  
THERAPIA  
PERIODICE INSTRVENDA



CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRAESIDE  
D. PHIL. ADOLPH. BOEHMERO

FACVLTATIS MEDICAE SENIORE  
ET H. T. DECANO CET.

PRO  
GRADV DOCTORIS  
LEGITIME CAPESSENDO

DIE XIV. DECEMB. MDCCLXXXII.

PVBLICE DISSERET

AVCTOR  
CAROLVS PIETSCH

MANSFELDA - BORVSSVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE  
LITTERIS FRIDERICI AVGVSTI GRVNERT.

Supplementum  
Tertiae  
Periodice Instruenda

Consensu  
Gratiosi Medicorum Ordinis  
in Regia Mediciana  
D. Phil. Adolph. Bohmnero

Facultatis Medicae Senioris  
et Medicorum  
Grav. Doctoris  
Legitimi Capessendo  
Die XIX Decem. MDCCLXXII  
Pauline Hesseret  
Auctor  
CAROLVS PISTCH

Habeat Magister  
Litteris Medicis Auctori Opus





## SECTIO THEORETICA.

### §. I.



Quamvis plurimi medicorum consentiant, *praeternaturali sanguinis menstrui, vite hucusque evacuati, retentione mensum suppressionis* notionem exhauriri; sunt tamen alii, qui, ambitu vocis restricto, *superflui tantum sanguinis impediam excretionem* suppressionis nomine insigniant, et alii, qui, sensu eiusdem extenso, cum *emanationem et cessationem, tum imminutionem et decolorationem* menstruorum ei subiiciant. Verum nec illis annuet, qui varie morbum, prout a variis proficiscitur causis, appellare noluerit, nec horum sequetur mentem, qui solide affectuum istorum discrimen perspexerit. Interea quantum definitiones a se discernant,

A

pant,



pan, tantum certe reliqua eorum momenta conspirant, ut proinde, quae de suppressis menstruis iam differantur, haec quoque mensium vitia magna ex parte attingant. Cessatio autem, quae nimis praecociter ingruit, uti cum ipsa confluit suppressione, sic, quae ex naturae legibus accidit, nequam morbus \*) haberi potest, licet omnino fatendum, saepius eam multorum grauiumque malorum esse foecundam matrem.

\*) V. SWIETEN Comment. in aph. BOERH. Tom. IV. p. 439.

### §. II.

Dispicitur morbus in *tolerabilem*, qui aliis affectibus vel plane caret, vel leuiore solummodo comites habet, et in *minus tolerabilem*, qui grauioribus malis stipatur. Quae sectio, cum medicinam facientibus non omni utilitate destitui videtur, suo quidem admittitur iure; sed fructu paulo maiori distinguitur mensium obstructio in *subitanam* et *lente succrescentem*, dum ad causam mali prodendam haec diuisio suum omnino confert. Neque aliud iudicium ferendum est de suppressione *idiopathica*, *symptomatica* et *sympathica*.

### §. III.

Subiacent valetudini huic tum virgines, tum nuptae, eaeque praesertim sensibiles, quoniam a causis externis facilius afficiuntur et frequenter a spasms corripuntur; melancholicae, sanguine spisso ac tenaci, aegre vasa tenerrima permeante, plene insuperque minori partium solidarum vi praeditae; phlegmaticae, pariter sanguine mucoso turgidae atque vasorum ro-  
bore

bore destitutae. Neque minus pronae in hunc morbum sunt, quae vita otiosa ac sedentaria fruuntur, tristitiae atque moerori indulgent, animi affectibus, occulto imprimis amori et irae obtemperant; quae obesae et adipe vndique refertae sunt; illae demum, quarum menstruatio iam pridem anomala fuit et imminuta. Facilius citiusue hoc quoque malo tentantur, quae nondum pepererunt, utpote quibus vasa, per quae sanguis eiicitur, minus hiant,

#### §. IV.

Dolor, grauitas, tensio in regione lumborum et inguinum, oppressio pectoris ipsaque aegrotarum relatio morbum, qui a reliquo aegritudinum agmine longius distat, quam ut cognitu difficilis sit existimandus, satis indigitant, nec opus est commemorare, vrinam esse plerumque crudam, turbidam, pallidam aut rubicundam et quandoque nigricantem<sup>1)</sup>. Quin ex lactis vel *colostri* prouentu, circa puerperium in mammis obuio, mensium defectus recte coniicitur<sup>2)</sup>.

1) IOD. LOMM obs. medicin. Ienae 1719. p. 228.

2) HIPPOC. aph. 39. Sect. V. Tubing. 1730.

#### §. V.

Causae suppressorum mensium tum a sanguine, tum a viarum vterinarum vitiis repetendae sunt. Proxima nimirum, cum in ipsa sanguinis impedita excretionem consistat, fouetur ab aliis, quae sunt:

A 2

a) Spas-



- a) Spasmus, vascula confringens, quo et rigiditas <sup>1)</sup> et acrimonia <sup>2)</sup> quodammodo pertinent;
- b) Debilitas <sup>3)</sup> et laxitas partium, impetu et vi ad qualemcunq; motum requisita destitutarum;
- c) Defectus sanguinis probi ac laudabilis;
- d) Plethora, quae vasa maiora ultra modum distendens minima comprimit;
- e) Pinguedo nimia <sup>4)</sup>, tum quia sanguis in adipem tendens parum est fluxilis, tum quia ipsum infarcit vterum;
- f) Sanguis spissus, lentus, tenax, tubulos tenerrimos praeccludens;
- g) Angustia et obstructio vasorum vterinorum;
- h) Vteri, nisi tum ope vaginae excretio sanguinis contingat, quaevis mutatio praeternaturalis et labes. Huc referri possunt concretio, distorsio <sup>5)</sup>, callus, Sarcoma, Polypus, Scirrhus, Carcinoma, abscessus, vlcus rel.

1) B. M. SAGAR Syst. morbor. symptom. Vienn. 1776. p. 396.  
et C. G. LUDWIG Instit. Med. clinic. p. 180. §. 413.

2) SAGAR. l. c. p. 397.

3) IDEM. l. c. p. 396.

4) F. C. G. EBART diss. de obesitate nimia etc. Gotting. 1780.  
p. 23.

5) ALB. de HALLER Art. medic. Princip. Laufann. 1770. Tom.  
III. p. 164. Ill. FRAESES Append. Vol. IX. Aetor. Natur. Curiofor.

#### §. VI.

Remotius autem agunt congestiones sanguinis versus alia loca; cacochymia; cibus potusque incongruus; inedia; ingluvies



vies; venae-sectio intempestiua; amor clandestinus; vita otiosa; habitatio in locis humido-frigidis; exercitatio corporis nimia; vigiliae; tristitia; curae; metus; nimii sudores; fonticuli, vesicatoria et fetacea copiose diuque gesta; morbi quamplurimi praegressi; ollae carbonibus repletae et corpori subditae ob exhalantes vapores acido-sulphureos, qui non modo lente adstringunt, sed in sensibilibus spasmus quoque excitant et sanguinem quasi adurunt; thoraces arcti, circulum sanguinis peruerentes cet. Potissimum vero ex procatarteticis causis redarguuntur ira, terror repentinus, refrigerium corporis; sanguinis detractio e vena brachii, indistincte instituta, adstringentia, opiata, emetica et purgantia drastica, sub ipso mensium successu inconsulte adhibita etc.

§. VII.

Impedita menstruorum per loca consueta excretionem, accidit saepe, ut aliena petant, e. c. vasa haemorrhoidaliam, ventriculum, pulmones, nares, oculos, aures, gingivas, palpebras, mammas, umbilicum, vesicam et totius omnino corporis superficiem \*). Immo et alia sunt, quae mensium vices quandoque sustinere observantur, ut tumor, scabies, sudor, efflorescentia pustularis, ulcus cet. quae menstruatim contingunt sensimque rursus evanescent, vel si perseverant, *periodice* ingrauescunt. Sed, cum practici fere omnes praeter fluxum menstruum et lochiorum nullam sanguinis exclusionem agnoscant esse naturalem: idem sentiendum est de hisce mensium devitiis, quae fluidum redundans quidem euacuant, at sanitati quoque insidias struunt.



Mulro minus reliqua symptomata vicaria secundum naturam censerī possunt.

\*) G. E. STAHL diff. de mensium viis insolit. Halae 1702. et v. SWIETEN I. c. p. 422.

§. VIII.

Omnes autem, simulac praeter naturam menstrua fluere desinunt, sanguine incipiunt ditescere et humorum dyscrasia laborare. Hinc vel leui tantum accedente causa externa congestiones et obstructions viscerum oriuntur variae. Quam plurimas cum grauitate, debilitate, immobilitate et languore totius corporis animique tristitia exercent spasmi, puncturae circa vmbilicum atque dolores abdominis, lumborum ac pedum grauatui, tensiui, pressorii, nec non capitis acerbissimi <sup>1)</sup>. Aliis accidunt sonitus et tinnitus aurium, vocis asperitas, raucitas, praecordiorum angustia, respirationis difficultas, palpitatione cordis, faciei liuor et pallor, somnolentia, inflatio ventris ac tumor pedum oedematofus. Quasdam nausea, subinde vomitus et horror, qualis a conceptu sentitur, corripunt. Multas obstructio alui, miectus frequentior, anorexia, pica, malacia, calor, aestus volaticus interdumque febricula vrgent simulque vigiliae adsunt, aut grauia mentem insomnia perturbant. Pilos denique in mento et corpore vniuerso erupisse, auctores <sup>2)</sup> passim referunt. Atque haec fere leuiora sunt, quae tantum non semper retentionem mensium insequuntur damna proximeque ex hoc fonte propullulant.

1) CELSVS libr. II. c. VII. p. 59. Lugd. Batav. 1657.

2) A. R. VOGEL de cogn. et curand. praec. cet. p. 291. §. 380. et HALLER I. E. Tom. II. p. 293.

§. IX.

## §. IX.

Quae vero suppressioni eorundem diuturniori ac pertinaciori superueniunt mala, non solum grauiora sed plane etiam exitiosa, sunt fere: Angina, Phrenitis, Peripneumonia, Pleuritis, Paraphrenitis, Nephritis, Ophthalmia, Odontalgia, Otites, Metritis, Erysipelas, Cachexia, Chlorosis, Leucophlegmatia, Hydrops, Icterus, Scorbutus, Scabies, Emphysema, Spasmi et tremores artuum, Colica, Cardialgia, Epilepsia, Tetanus, Catalepsis, Hysteria, Tussis, Ischuria, Vertigo, Incubus, Cephalaea, Hemicrania, Rheumatismus, Arthritis, Syncope, Paralysis, Apoplexia, Amblyopia, Coecitas, Asthma, Anosmia, abolitio gustus et loquelae, deglutitio intercepta, Surditas, Sterilitas, Lethargus, Diarrhoea, Cholera, Fluor albus benignus, febres intermittentes et hecticae, dementia, deliria, obliuio, stupor, Melancholia, Mania, Nymphomania et Erotomania, Calculus, Scirrhus et Cancer vteri, Mola cet. Denique tumores, abscessus, vlcera omnis generis ac loci, Gutta rosacea, Furunculi, Varices, Verrucae et alia mira saepe mala menstruorum obstructionem sequuntur \*).

\*) Conf. VOGEL l. c. et V. SWIETEN l. c. p. 417. seqq.

## §. X.


Atque hos affectus (§. VII. VIII. IX.) a praeclosure menstruorum inuitari, foueri atque progigni, longa obseruationum serie compertum est, dum vel periodice recurrunt et menstruationi



tioni respondent, vel reserato fonte et in ordinem fluxu redacto mitescunt et sponte sua discedunt, aut minori negotio oppugnari, se sinunt. Quae signa ubi deficiunt, caue, ne statim molestiarum praesentium originem a mensium oppilatione repetendam esse putes. Ratio autem, qua tot tantaeque aegritudines ex vno catameniorum defectu promanare possunt, quodammodo intelligitur ab his, qui cogitant, suboriri, menstruo profluvio impedito, plethoram, qua motus humorum perturbatur, dyscrasia inducitur, acrimonia euoluitur, digestio, chylicatio et sanguificatio laeduntur, congectiones atque coaceruationes sanguinis inferuntur, infarctus vasorum viscerumque obstructiones generantur, cet. Accedunt uteri structura, situs nexusque cum aliis corporis partibus et sexus sequioris maior sensibilitas. Quae res, licet non omnem penitus rem exhauriant, aliquam tamen spargunt lucem efficiuntque, ut iis Medicus prudens ac solers in explicando utcumque adiurus, ruinis tot visis, minus obstupescat.

§. XI.

Ut prognoscos quoque ratio expendatur: tenendum est, mensium suppressionem morbum esse frequentem, perniciosum (§. IX.) et refractarium usque adeo, ut semestrem HIPPOCRATES <sup>1)</sup> insanabilem dixerit, quamvis eo non nisi difficilem medelam innuere voluisse videatur; siquidem *Ipse* <sup>2)</sup> memoriae prodidit, catamenia virgini cuidam septennium obstructa fuisse restituta. Ex quo simul patet, aegrotas, nisi graviora accedant mala, diu satis posse vitam trahere. Minus autem terret affectus, qui ab aliis sanguinis, aut similis humoris excre-



excretionibus (§. VII.) excipitur. Interim tamen quae per plura loca *simul* fit sanguinis exclusio vicaria, parum laudanda est, quia facile excedit; nec, quae per pulmones aut renes contingit, siquidem illos ad exulcerationem disponit, atque cruor in his facile grumescens generando calculo fauet, probanda; quemadmodum contra ea optima est, quae per nares <sup>3)</sup> accidit. Nec quidem fausto omine chronicis morbis, quippe quos reddi peiores, obstipatio menstruorum superuenit. Euentus autem medicationis in genere admodum varius est, pro eo, ac temperamentum, aetas, vita mulierum plus minus laboriosa, annus morbi que ratio, diurnitas et causae differunt, ut facilius, aut difficilius redeat fluxus, et quandoque omne irritum sit medentis conamen. Namque auspicius subigitur malum, quod vere atque aestate medicaminum vi aggredieris; operosius, immo difficillime compescitur, quod *subito* exsurgit; quod a plethora emergit, ocius tollitur, quam quod spasmo, debilitati, sanguinis defectui et tenacitati itemque vasorum angustiae aut infarctui originem debet. Vbi demum ex ipsa vteri labe processit, aut inueterauit, non modo taediosissimum facessit laborem, sed saepe etiam Medici, lubrica adhuc spe nutriti, finem illudit. Quare summa in hoc curando morbo opus est diligentia, quae sane, ubi datur, id efficiet, ut, genuina congruaque methodo adhibita, tertio quartoue mense fluxus recurrat. Effectus (§§. cit.) ceterum, ex suppressione mensium ortos, pari cum principe morbo via incedere, eoque sublato, cum mansuescere, tum vitro euanescere, et varios eorum enecare aut mortem accelerare posse, facile intelligitur.



- 1) HALLER l. c. Tom. III. p. 165.  
 2) IDEM l. c. Tom. II. p. 261.  
 3) HIPPOCR. aph. 33. Sect. V. et CELSVS lib. II. c. VIII. p. 69.

## SECTIO PRACTICA.

### §. XII.

**T**heoria morbi nunc quidem exposita: proximum est, ut medendi trames instruatur. Praemoneri autem oportet, non solum grauidas et lactantes fugere menses, sed et haemorrhagiam ingentem modo expertis, aut morbum, qui corpus exhaustit, perpeffis, saepe deficere; itemque esse, quas haec excretio perpetua vita destituat, viragines \*); denique plurimis aliquot *ante diem* annos subsistere, et aliis, iisque robustis ac laboriosis, *citra noxam* deesse. His ergo medicatio adhibenda est tum omnino nulla, tum quae in distantiori methodo acquiescat, et, omissis plane emmenagogis, restaurandum fluxum eminus tantum respiciat. Neque his mouenda fluxio est, quae vteri inflammatione, vlcere, procidentia cet. laborant.

\*) I. H. SCHVLTZ Pathol. spec. app. de morb. mulier. cet. p. 8. §. XIX. schol. Halae 1747. I. G. ROEDERER Elem. art. obstet. p. 61. §. 131. Schol. 55. Gotting. 1766.

### §. XIII.

At vero ne Medicus, a meretriculis, dissimulata impraegnatione, non nisi menstrui fluxus obstructionem incusare solitis, deceptus pellentem medicinam nescia manu porrigat sicque foetus trucidandi eiiciendique periculum subeat: discrimen inter

ter

ter *naturalem mensum defectum* et *morbosum* intercedens probe attendendum. Namque symptomata, a praeclosure, grauidis solemnni, oriunda, sensim mitescunt ac euanescunt; in obstructione praeternaturali autem obuia indies augetur. Praeter haec non modo impraegnationis et grauiditatis criteria \*), quae hic repetere, non vacat, sedulo sunt respicienda inque usum duccenda, sed etiam cum emmenagogis cautissime mercandum, quotiescunque de retentione menstruorum conqueruntur suspectae.

\*) ROEDERER I. C. p. 65. §. 141. seqq. et I. F. VASLII Elem. Medic. forens. p. 5. §. 13.

#### §. XIV.

Quo etiam medela possit esse conuenientior, diagnosis causarum arbitror praemittendam. Atque hic quidem commune quoddam auxilium affert cognitio idiosyncrasiae, constitutionis, temperamenti, vitae generis, rel. quae cadunt in aegrotas. Spasmus vero fons mali censendus est, ubi dolor acutus, tensio et formicatio quaedam in regione hypogastrica, inguinali et lumbari pulsusque durus et paruus percipiuntur, et vrina aquea pallidaque prodit. Nec sententia fallit, quae affectum subito natum stricture spasticae tribuit; siquidem causarum procatartearum aliqua praecessisse tantum non semper apprehenditur. Eademque origo coniectanda est, si locus affectus omni grauitatis ac ponderis sensu vacat. Debilitatem esse accusandam, ex statu corporis atque valetudinis antecedente, languore, pulsu celeri, paruo, debili ac molli omniumque



functionum imminutione optime colligitur. Defectum sanguinis, cui debilitas vsquequaquam iungitur, euidens qualiscunque euacuatio vel cruoris, vel humoris serosi, vt diarrhoea, sudor colliquans, alius quisque grauior morbus, aut longa inedia praecurrunt. Insuper eum adesse, declarant pulsus debilis, inaequalis, subinde intermittens, dolores vagitenses, quinimmo deliquia animi, faciei pallor, collapsus, extremorum frigus, tremor, rel. Plethoram atque pinguedinem menstrua praeculuisse, innuunt praeter aspectum, qui habitum corporis tumidum et saginatum, faciem rubicundam laeteque floridam et vasorum turgescentiam satis docet, spirandi difficultas, virium oppressio, sudor facilis viscidusque a motu vel leuissimo cum ingrata sensatione prorumpens, pulsus plenus, fortis, tardus, in obesitate vero paruus ac debilis, insomnia, quieti placidae inimica, aut somnus profundus et stertorosus, insignis demum caloris et frigoris intolerantia. Imprimis quoque mammae turgidae plethoram indicant. Visciditatem humorum insimulant motus tardus, pulsus paruus, mollis, languidus, torpor, habitus corporis laxus et spongiosus, facies alba et pallida, frequentia morborum catarrhalium, frigus vniuersi corporis externi imprimisque artuum. Angustia et obstructio vasorum sicubi adsunt; circa lumbos et vterum sentiuntur pondus, grauitas, pressio tensioque spastica omni quidem tempore; ingrauescunt autem haec, imminente menstrui fluxus periodo stata. Quod etsi sufficere possit causae indigitandae, omnis tamen haesitandi tollitur occasio, vbi mucosae et subalbidae materiae exstillatio accedit. Varias denique vteri aut vaginae lases signa per-



perpauca eademque admodum fallacia produnt. Quae enim a dolore, pondere ac pressione recte defumuntur, malum quidem, quod cum infarctus indiciis, modo recensitis, coincidunt, nec adeo certitudinem praestent. Contrectatio tamen sedula, ichoris profluium subinde conspicuum, coitus et sine oblectatione et ipso cum doloris sensu peractus, sterilitas et genitalium laesiones atque affectus praegressi disquisitionem utcunque adiuuare possunt.

§. XV.

Quemadmodum causarum discrimen magnum esse vidimus, sic quoque sanandi methodus plurimum differt. *Curatio autem periodica, quae, corpore bene praeparato, illo solum tempore, quo pridem fluere menses solebant, emmenagoga exposcit adhibenda,* quibuscunque accommoda causis est. Atque hoc quidem de remediis, suppressioni mensuum periodice opponendis, assertum fidissimae isti innititur experientiae, quod non nisi hoc tempore data medicina pellens ex sententia cesserit, extra illud propinata turbas incassum bene multas excitarit. Quare oportet, naturam sequi Medicum diligenterque periodum ab aegrotis exquirere. Sin vero istae ob temeritatem animique leuitatem minus hanc attenderint notarintque; motus in corpore obuientes pulsatorios atque insolitos lumborum vicinaeque dolores, quippe certos periodi nuntios, aduertat et obseruet. Vbi forte et haec deficiunt signa: optime exhiberi posse stimulantia, *noua et crescente luna*, a practicis monitum et obseruatum fuit.

## §. XVI.

Quisquis vero curandum suscipit morbum, id agat, ut causis, quantum fieri potest, remotis, fluxum reducat menstruum. Id quod efficiunt antispastica, roborantia, nutrientia, euacuantia, diluentia, resoluentia, aperientia, stimulantia et auxilia chirurgica; quae cuncta semper ad aegrotarum constitutionem seligenda et suo quaeque tempore praescribenda sunt. Inprimis cauendum est, ne stimulantia, e quibus leniora calidioribus semper praeferenda, et roborantia ante porrigantur, quam praemissa fuerunt praeparantia et euacuantia varii generis; dum humores versus vterum coactos infarctum augere, satis liquet. Non minus venaesectio prouide est instituenda, in qua si quid delinquitur, tota motuum oeconomia turbatur. Omnium minime autem purgantia aut emetica dentur validiora, quando sanguis turgescit, ne per loca insolita contingat sanguinis eruptio.

## §. XVII.

Propositis hisce *generalioribus* recte subiungitur *curatio specialis*. Vbi igitur spasmus adesse cognoscitur, profunt Nitrum, Moschus, Castoreum, Assa foetida, Theriaca, Crocus, Liquor anodynus mineralis HOFFMANNI, Spiritus Nitri dulcis, Laudanum liquidum SYDENHAMI, Laudanum hystericum cet. Relaxant pariter, aluo bene repurgata, enemata ex oleo lini, meliloti, amygdalarum dulcium, et semicupia tepida ex aqua, saponis et herbis emollientibus parata. His, si vlllo modo ferri pot-

potest, praecurrat venaesectio in pede instituta, aut scarificatio ad femora, et sanguisugium, ad genitalia admotum; videndum autem, hirudo ne alius irreat. Quae omnia, vt decet, adhibita nisi reuocant fluxum, symptomatibus, quoad eius licet, occurrendum et palliatue agendum, donec naturae molimina resurgant et vsum emmenagogorum indigent. Huic indicationi abunde satisfaciunt Pulegium, Absinthium, Abrotanum, Melissa, Millefolium, Ruta, Marrubium album, Matricaria, Artemisia rubra montana et alia, specie infusorum aut decoctorum, tum mero vino, eodemque rhenano, franconico aut mosellano, tum aqua remixto parandorum, suppeditata.

§. XVIII.

Debilitati et laxitati obuiam itur martialibus, vel in pulvere, cui Cinnamomum commode iungitur, datis, vel vino infusis. Omnibus sane haec ita se probarunt, vt pariter ad reliquas causas conferant. Optime insuper conueniunt: cortex peruanus, winteranus, Cascarillae, flauedo Aurantium, Centaurium minus, Chamomilla romana cet. modo in puluerem redacta, modo forma infusi, decocti et linctus exhibenda. Quantaque exhaustis beneficia praestentur a balneis frigidis, tum simplici aqua, tum roborantium viribus imbuta, compositis, vel inde colligitur, quod et segni inerteque natura operentur. At haec non nisi omnibus sanis illaesisque visceribus et extra ipsam fluxus menstrui periodum sunt admittenda, ne, sanguine introrsum repulso, quae adsunt, mala recrudescant aut noua emergant. Quamquam tonica dextre applicata saepe sola men-

sibus



sibus restaurandis sufficiant; natura tamen progressu temporis interdum quasi defuescit, ut ne, robore iam restituto, debita sequatur sanguinis excretio. Mouenda igitur haec via periodica (§. antec.), pellente medicina, eaque initio leniori, data, quae, sin minus operae faciat pretium, dein fortiolem commendat. Ad haec in ipsam debilitatis originem inquiratur, quo rectius auferri possit.

§. XIX.

Inopiam humorum resarciunt iuscula vitulina, gallinacea, columbina, aromate mitiori condita, lactinia, porus e Cacao, Sagu, Auena excorticata et leuiter tosta parati, et emulsiones. His elixirium viscerale interponi oportet, ut assumta in nutrimentum a ventriculo conuertantur, et debilitati, deficientis sanguinis nunquam non sociae, medeatur. Plethora soluitur cruoris detractio, cui inseruiunt venaesectio, scarificatio et sanguifugium, in quibus administrandis periodi ratio semper habenda. Principio enim et tempore intermedio, vbi sola fluidorum imminutio intenditur, brachii vena aperiri potest: sin vero molimina ad menses se exserant, non nisi ex ipsis genitalibus aut pede sanguis eliminetur. Eadem fere ratione pinguedo nimia colliditur. Cum vero, incisa vena, non modo humorum redundantia minuitur, sed et laxitas, quae, nisi quid obstat, mirum, quantum aruinæ generandæ faueat, corpori inducitur; vni huic medelae inhaereri nequit, sed praeter frictiones easque crebriores et paulo fortiores <sup>1)</sup> ac balnea frigida, cutem obesarum laxam firmantia, omnimoda euacuatio accedat.

Fuso

Fuso igitur et ad excretionem alcalinis, ut saponem veneto in pillulas efformato, oleo Tartari per deliquium aliisque adipe disposito, eccoprotica<sup>1)</sup>, diaphoretica, diuretica, etc. auxiliantur. Nec quoque acida et roborantia pinguedinis secretioni et resorptioni non repugnant. Omnibus hisce remediis, summa cum prudentia adhibendis, circa consuetum fluxus menstrui tempus vtiliter emmenagogum interferitur, quo facilius, obstaculo remoto, excretio succedat.

1) CELSVS l. c. c. 14. p. 88.

2) v. SWIETEN l. c. Tom. III. p. 337.

§. XX.

In visciditate et lentore humorum viæ primæ, vnde cacochymia originem trahit, præsertim sunt respiciendæ, ut de remediis, sanguinem attenuantibus, spes concipi maior possit. Illis igitur optime absterfis et tonicis (§. XVIII.), nouo fordidum prouentui resistentibus, propinatis, in resoluenda fluidorum spissitudine omnis diligentia collocanda. Atque hunc effectum præstant salia media, Antimoniata, Succinata, Mercurius dulcis, succi, infusa et decocta plantarum resoluentium, velut Armoraciæ, Cichorei, Nasturtii, Taraxaci, Scorzonæræ, Saponariæ, Pimpinellæ albae, Bardanae, Ireos florentinæ, Enulæ, Imperatoriæ, cet. Conducunt itidem serum lactis et pillulæ ex Ammoniaco, Galbano, Mastiche, Opopanace et saponaceis conficiendæ. Immo minerales aquæ suo iure in hunc finem laudantur. Quoniam vero, suppressis mensibus, ad hydropès aliosque chronicos morbos corpora vergunt, in illis

C

sua-



suadendis omni cautionis genere opus est. His aliquandiu continuatis et fluiditate sanguinis reparata, versus periodum tributi menstrui aliquot dierum decursu emmenagoga (§. XVII.) commendentur, et pediluua iubeantur, appositis extremitatum inferiorum ligaturis, sanguinem caute ad uterum determinantibus. Pari modo viarum angustia et obstructio, sanguinis leniti viscidique perpetuae comites, superantur. Illae vero, cum pertinaciores esse soleant, ad validiora deueniendum et infarctus vasorum Aloë, Myrrha, Helleboro nigro, Colocynthide atque Sabina, praesertim eius extracto, quae omnia prae reliquis phlegmaticae et melancholicae ferunt, debilioribus autem ac tenerioribus non nisi parcius concedi posse videntur, reserandus est. Quod postquam contigit, martialia, quominus causae sensim reuertantur, prohibebunt.

§. XXI.

*Specialissima* autem et praeceptis accommoda *medicatio periodica* hunc fere in modum adornari potest: Vbi periodum instare noueris, per *integram circiter septimanam tempore matutino* Mixtura, quae Tincturae Antimonii tartarifatae drachmas III. Liquoris terrae foliatae Tartari, Essentiae Succini et Tincturae Martis aperitiuae LVDOVICI ana drachmam I. recipiat, ad guttas XXX - XL. in infuso emmenagogo propinatur eodemque modo *tempore pomeridiano* iteratur. Versus *meridiem* et *vesperam* puluis temperans exhibetur. Denique aegrotantes, *anequam dormitum se conferunt*, pillulas genuinas IUNKERI, eas tamen vno alteroque Extracti Sabinæ granulo acuendas,

aut

aut HOFFMANNI vel STAHLII ad grana XV - XX. fumant. Has enim emmenagoga et purgantia sic dicta vterina, hinc inde praescripta, ingrediuntur. Sensibilibus autem, quia facile a calidis offenduntur, pari ratione Extracta amara, Liquori terrae foliatae Tartari iuncta, conteniunt. Atque haec methodus, stato cuiusque mensis tempore, donec optatus exitus sequitur, repetenda et aliquantisper, quamvis fluor iam redierit, protrahenda; quemadmodum stadio proximo eadem vti licet, quo obsequentior excretio sit ordinatimque deinceps contingere pergat.

§. XXII.

Sed et ignis electrici et aëris fixi adhuc est iniicienda mentio, siquidem vterque ex aliquo tempore coepit obstructorum mensium pariter, ac aliorum affectuum remedium celebrari. Nec sane est, quod de vi dubitetur. Impetus enim ab igne electrico tantus infertur, ut vasa, viscido humore obrurata, et pereunt sentias, et aperiri posse credas. Obex autem ne altius impingatur, admoueri ictus, pedibus commode excipiendus, nequit, nisi materia obserante volubili et ad exitum apta reddita. Virtus penetrandi ac recludendi parum inferior suppetit aëri fixo, qui *methodo Hulmiana* \*) ita optime hauritur, ut quindecim granis salis Tartari, aquae vnciis tribus quatuorue soluti, assumtis, viginti ferme guttulae spiritus Vitrioli, eadem aquae copia diluti, e vestigio ingerantur: qui modus, prout res sua dent, aliquoties de die repetatur. Atque vel his vti aegram oportere eo, quo pridem experiri fluxum consuevit, mensis tempore, per se liquet. Coniugio \*) denique morbum quando-



que auferri, e coitu, humores ad vterum rapiente, haud difficulter intelligi potest.

1) CELEBERE MURRAY medic. pract. Bibl. Tom. III. p. 226.

2) V. SWIETEN I. c. p. 445. seq.

§. XXIII.

Variis hisce internis remediis praeter balnea, frictions, ligaturas et diuersos sanguinis e corpore proscribendi modos, passim laudatos, suppetias quoque afferunt alia externa, quibus praesertim in diurna deglutitionis abolitione pugnandum, vt vapores, suffitus \*), commoda instrumenti Glauberiani ope excipiendi, et fomenta, linimenta, cataplasmata cet. ipsis muliebribus applicata, quae ex abstergentium, relaxantium, aperientium, roborantium ac leniter vellicantium classe depromta, interdum operae pretium faciunt. Nascalum vero et pessarium vsus propemodum hodie exoleuit, vt in censum referre eadem vix ausim. Interea si quis est, qui, omni auxiliorum genere exhausto, iis vti velit; ex iisdem medicaminibus concinari possunt. Absit tamen omne rodens et acre, ne excitetur inflammatio, exulceratio cet. blandoque dein fluido pars coluatur. Cauteria, femoribus inflicta, vbi reliqua praesidia malo delendo imparia sunt, vix vnquam dolore, quem pariunt, dignum persoluunt fructum. Neque omnino admitti posse arbitror, propterea, quod, serosum ducendo humorem, fluiditate sanguinem priuant. Quae varias vteri labes auferunt, extra ambitum libelli academici quaeras auxilia. Potiora, si fieri potest, absoluit manuum ac instrumentorum applicatio, quam Chirurgia praecipit. Cetera redeunt ad emollientia, resolu-

tia



tia, discutientia, digestiua, balsamica et tonica. Recte etiam hic, vbi, obstaculo expedito, menstruatio abesse pergit, stata periodo medicina, quae sanguinem ad vterum alliciat, exhibetur.

\*) HIPPOCR. aph. 28. Sect. V.

§. XXIV.

Vicaria mensum suppressorum mala (§. VII.), nisi excedant, sibi sunt relinquenda, aut, sicubi necessum iudicatur, moderanda, verum non anxia medela sollicitanda. Istos enim naturae conatus, materiem redundantem et noxiam expellendi, male oportet cedere cohibitos. Sigillatim tumor periodice obnatus nec emolliendus est, nec discutiendus, ne foedum vlcus aut carcinoma exsurgat; nec, quae ceteroquin efflorescunt, repellenda. Auia autem et alio delapsa menstruatio ita in ordinem redigitur, vt pediluuiis praemissis, versus periodum vena pedis incidatur et blando laxante aliquoties exhibito, aut leni emmenagogo propinato, sanguis ad vterum reuocetur. Quae methodus, nisi primo statim mense res ad votum successerint, secundo et tertio, repeti potest, ommissa tamen, vel parciiori duntaxat instituta venaesectione. Morbi a praeclusis menstruis oriundi, nisi, iisdem referatis, fugam moliuntur, sua quique sunt percurandi via. Notari autem meretur, hos, prout varii sunt, varie medendi methodum haecenus praecipitam immutare. Sic venaesectione, quia vires atterit, omittenda, vbi febris hectica adest; pediluua dissuadentur, vbi Cachexiis tumor oedematosus iungitur; inflammationes et spasmi calida quaecunque respuunt et alia, quae prudens ex se haurit  
Medi-



Medicus. Si demum nulla ratione fluxus obstructio expediri se patitur; temperantibus, laxantibus et menstrua interdum sanguinis missione, sicuti *Illustr. Praefes et Praceptor pie deuenendus* obseruando didicit, affectus hinc metuendi, praervertantur.

§. XXV.


Cum in omni morbo, tum praesertim in suppressione mensium bono regimine et lectissimo vitae genere plurimum non modo efficitur, sed medicaminum actio maximam partem inde etiam pendet. Quare, huc quae pertinent, strictim indicabo. In vniuersum autem viuendi ratio causis et medicationi respondeat. Aër vitandus est nimium frigidus, calidus, siccus, humidus, et qui cum impetu irruit, aut concitatius per angusta agitatur. Inprimis a gelu pedes et abdomen praecauentur. Cibus sit euchymus, eupeptus minusque siccus, quam humidus, leni aromate conditus, nec nimius, nec iusto parcior, nec glutinosus; potus multus, tenuis, at nutriens, non acidus, adstringens, exsiccans, aut spirituosus, quamquam haustus generosi vini concedatur; motus humoribus dissoluendis aequae ac per totum corpus distribuendis sufficiens. Affectus animi tandem quouisunque modo fugiantur. Atque haec quidem praeccepta, vti perpetuo colenda, sic potissimum, ingruente periodo, obseruanda sunt.



W 1 P

PICA





DE  
 SVPPRESSIONE MENSIVM  
 EIVSQVE  
 THERAPIA  
 PERIODICE INSTRVENDA



CONSENSV  
 GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
 IN REGIA

PRA

D. PHIL. ADO

FACVLTATIS M  
 ET H. T.

GRADV I

LEGITIME

DIE XIV. DEC

PVBLIC

A

CAROLV

MANSFEL

HALAE M

LITTERIS FRIDER

